bat. Uere fatebor, non si ipse, ut aiunt, ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeo omnia maiora in Martino sunt, quam ut uerbis concipi queant. Nunquam hora ulla momentumque preteriit, quo non aut orationi incumberet aut insisteret lectioni. Quanquam etiam inter legendum aut si quid aliud forte agebat, nunquam animum ab oratione laxabat. Nimirum ut fabris ferrariis moris est, qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudem suam feriunt, ita Martinus etiam dum aliud agere uideretur, semper orabat.

O uere uir beatus, in quo dolus non fuit: neminem iudicans, neminem dampnans, nulli malum pro malo reddens. Tantam quippe aduersus omnes iniurias patientiam assumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis lederetur; nec propter id eos aut loco unquam amouerit, aut a sua, quantum in ipso fuit, caritate reppulerit. Nemo unquam illum uidit iratum, nemo commotum, nemo merentem, nemo ridentem. Unus idemque semper, celestem quodammodo leticiam uultu preferens, extra naturam hominis uidebatur. Nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerumque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius uidebantur, solebat flere peccatis, qui remotum et quietum uenenatis linguis et uipereo ore carpebant. Et uere non nullos experti sumus inuidos uirtutibus uiteque eius, qui in illo oderant quod in se non uidebant, et quod imitari non ualebant. Atque o nefas dolendum et ingemiscendum, non alii fuere insectatores eius, licet pauci admodum, non alii tamen quam episcopi ferebantur. Nec sane quemquam nominari necesse est, licet nosmet ipsos plerique circumlatrent. Sufficiet ut si quis ex his hec legerit et agnouerit, erubescat. Nam si irascetur, dictum de se ipse fatebitur, cum fortasse nos de aliis senserimus. Non refugimus autem, ut si qui eiusmodi sunt, nos quoque cum tali uiro oderint. Illud facile confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore. De cetero si quis hec infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum me rerum fide et amore Christi impulsum ut scriberem, manifesta exposuisse, uera dixisse. Paratumque, ut spero, habebit a deo premium, non quicumque legerit, sed quicumque crediderit.

Explicit liber primus de uita sancti Martini. Incipit epistola Seueri ad Eusebium presbiterum postea episcopum.

Hesterna die cum ad me plerique monachi uenissent, inter fabulas iugesque longumque sermonem incidit mentio libelli mei quem de uita beati uiri Martini edidi, studioseque eum a multis legi et libentissime audiebam. Interim indicatur mihi dixisse quendam malo spiritu suscitatum, cur Martinus, qui mortuos suscitasset, flammas domibus depulisset, ipse nuper adustus incendio periculose fuisset obnoxius passioni. O istum quisquis est miserum. Iudeorum in uerbis eius perfidiam et dicta cognoscimus, qui in cruce positum dominum his uerbis increpabant: Alios saluos fecit, se ipsum saluum facere non potest. Uere plane iste quicumque est, si illis temporibus natus esset, et in dominum hac uoce dicere potuisset, qui simili sanctum domini blasphemat exemplo. Quid ergo, quisquis es? Martinus ideo non potens, ideo non sanctus, quia est periclitatus incendio? O beatum et per omnia similem apostolis etiam in his conuiciis uirum. Nempe hoc et de Paulo gentiles, cum eum uipera momordisset, sensisse referuntur: Hic homo debet homicida esse, quem saluum factum de mari fata uiuere non sinunt. At ille excussa uipera in ignem nichil mali patiebatur. Illi autem subito casurum et re

pente eum mortuum putabant. Sed cum viderent nihil mali contingere ei, convertentes se dicebant eum esse deum. Alioquin vel horum exemplo omnium mortalium infelicissime perfidiam tuam coarguere ipse debueras, ut si te scandalum movebat quod Martinus flamma ignis videbatur attactus, hoc rursum attactum ad merita illius et virtutem referres, quod circumseptus ignibus non perisset. Agnosce enim, miser, agnosce quod nescis: omnes fere sanctos magis insignes periculorum suorum fuisse virtutibus. Video quidem Petrum fide potentem, rerum obstante natura, mare pedibus supergressum et instabiles aquas corporeo pressisse vestigio. Sed non ideo minor videtur gentium praedicator, quem fluctus absorbuit et post triduum totidemque noctes emergentem e profundo unda restituit; atque haud scio an pene plus fuerit mansisse in profundo an super maris profunda transisse. Sed haec tu, ut arbitror, stulte non legeras aut lecta non audieras. Neque enim absque divino consilio istiusmodi exemplum beatus evangelista sacris litteris protulisset, nisi ut ex his humana mens erudiretur, naufragiorum videlicet atque serpentium casus. Et sicut apostolus refert, qui nuditate, fame latronumque periculis gloriatur, omnia haec sanctis hominibus atque omnibus ad perpetiendum quidem esse communia, sed his tolerandis atque vincendis praecipuam iustorum semper fuisse virtutem, dum per omnia temptamenta patientes semper et invicti tanto fortius vincerent quanto graviora pertulissent. Unde hoc quod ad Martini infirmitatem revocatur plenum est dignitatis et gloriae, siquidem qui periculosissimo casu temptatus evicerit. Ceterum omissum a me in libello illo quem de vita illius scripsimus nemo miretur, cum ibidem sim professus me non omnia illius facta complexum, quia si persequi universa voluissem, immensum volumen legentibus edidissem. Neque sunt tam parva quae gessit, ut omnia potuerint comprehendi. Sed tamen hoc de quo quaestio movetur dici latere non patiar et rem omnem ut gesta est referam, ne forte in insultum hoc quod ad vituperationem beati viri poterat opponi praetermisisse videamur. Cum ad dioecesim quandam pro sollemni consuetudine, sicut episcopis visitare ecclesias suas moris est, media fere Martinus hieme venisset, mansionem ei in secretario ecclesiae clerici paraverant multumque ignem scabro iam pertenui pavimento subdiderant, lectum ei plurimo stramine extruxerant. Deinde cum Martinus cubitum se collocasset, insuetam mollitiem strati male blandientis horrescit, quippe qui nuda humo, uno tantum cilicio superiecto cubare consueverat. Itaque quasi accepta permotus iniuria, stramentum omne proiecit. Casu super fornaculam partem paleae illius quam removerat aggessit; ipse ut erat moris nuda humo lassitudine itineris urgente requievit. Ad mediam fere noctem per interruptum ut supra diximus pavimentum ignis aestuans arescentes paleas apprehendit. Martinus somno excitus, re improvisa, ancipiti periculo et maxime ut referebat diabolo insidiante atque urgente praeventus, tardius quam debuit ad orationis confugit auxilium. Nam erumpere fores cupiens, cum pessulo quem ostio obdiderat diu multumque luctatus, gravissimum circa se sensit incendium, adeo ut vestem qua indutus erat ignis absumpserit. Tandem in se reversus non in fuga sed in domino esse praesidium, scutum fidei et orationis arripiens, medius flammis totus ad dominum conversus incubuit. Tum vero divinitus igne summoto, innoxio sibi orbe flammarum orabat. Monachi autem qui pro foribus excubabant, crepitante et colluctante incendii sono excitati, obseratas effringunt fores, demotoque igne medium flammis Martinum auferunt, cum iam penitus esse consumptus tam diuturno incendio putaretur. Ceterum ut ubi sis meis dominus est testis, mihi ipse referebat et non sine gemitu fatebatur

in hoc se diaboli arte deceptum . ut excussus e somno consilium non haberet . quo per fidem et orationem periculo repugnaret . Denique tamdiu circa se sensisse ignem . quamdiu erumpere hostium turbatus mente temptauerit . ubi uero auxilium crucis et orationis arma repetisset . medias cessisse flammas . seque tum sensisse rotantes . quas male esset expertus urentes . Unde intelligat quisquis hec legerit . temptatum quidem illo martinum periculo . sed probatum .

Explicit epistola Seueri ad eusebium presbiterum . Item epistola eiusdem ad aurelium diaconum de obitu beati martini .

POSTQUAM a me mane digressus es eram solus residens in cellula . subieratque me illa que sepius occupat cogitacio . spes futurorum . presentiumque fastidium . iudicii metus . formido penarum . et quod consequens erat atque unde cogitacio tota descenderat . peccatorum meorum recordatio . tristem me confectumque reddiderat . Deinde cum fatigata angore animi in lectulo membra posuissem . ut plerumque ex mestitudine solet . somnus obrepsit . qui ut semper matutinis horis leuior incertusque . ita suspensus ac dubius per membra diffunditur . ut quod in alio sopore non euenit pene uigilans dormire te sentias . Cum repente sanctum martinum episcopum uidere mihi uideor . pretextum toga candida . uultu igneo . stellantibus oculis . crine purpureo . atque ita in mea habitudine corporis formaque qua noueram uidebatur . ut quod eloqui nobis pene difficile est non posset aspici cum posset agnosci . Arridensque mihi paululum . libellum quem de uita illius scripseram dextera preferebat . Ego sancta genua eius complexus benedictionem per consuetudinem flagitabam . suppositamque capiti meo manum tactu blandissimo sentiebam . Cum inter benedictionis uerba sollempnia . familiare illud ori suo crucis nomen iteraret . mox luminibus intentis meis . cum exsatiari uultu illius conspectuque non possem . subito mihi in sublime sublatus eripitur . donec immensa aeris istius uastitate . cum tamen rapida nube subuectum acie sequerer oculorum . patenti celo receptus uideri ultra non potuit . Nec multum post sanctum presbiterum clarum discipulum illius qui nuper excesserat . uideo eandem quam magistrum uiam scandere . Ego impudens sequi cupiens dum altos gressus molior et conitor . euigilo . somnoque excitus congratulari ceperam uisioni . Cum ad me puer familiaris ingreditur . solito tristior uultu loquentis pariter et dolentis . Quid tam tristis inquam loqui gestis . Duo inquit monachi a turonis aduenerunt . domnum martinum obisse nunciant . Concidi fateor . obortisque lacrimis fleui ubertime . quin etiam dum hec ad te frater scribimus fluunt lacrime . nec ullum impatientissimi doloris admitto solatium . Te uero ubi hoc nuntiatum est participem esse uolui luctus mei . qui eras socius amoris . Ueni igitur ad me statim ut pariter lugeamus quem pariter amabamus . quamquam sciam uirum illum non esse lugendum . cui post euictum triumphatumque seculum nunc demum reddita est corona iusticie . Sed tamen ego non possum mihi imperare quin doleam . Premisi quidem patronum . sed solatium uite presentis amisi . Et si rationem ullam dolor admitteret . gaudere deberem . Est enim ille consertus apostolis ac prophetis . et quod pace sanctorum omnium dixerim . in illo iustorum grege nulli secundus . ut spero . credo . confido . illis potissimum qui stolas suas in sanguine lauerunt aggregatus . agnum ducem ab omni integer labe comitatur . Nam licet ei ratio temporis non potuerit prestare martyrium . gloria tamen martyris non carebit . quia uoto atque uirtute et potuit esse martyr et uoluit . Quod si ei neronianis decianisque temporibus in illa que tunc extitit dimicare congressione licuisset . testor deum celi atque terre . sponte eculeum ascendisset .